

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Februariis MDCCCCVIII

Num. II.

VOX VRBIS.

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - **ROMA**



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

—

Varsaviae Polonorum
Rakewskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

—

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

—

London W.
28, Orchard Street.

Montreal
1699, Rue Notre-Dame.



Huiusmodi officinae, conditae inde ab an. MDCCXIII, haec peculiaria propria sunt:
Candelae ex cera, iuxta praescriptiones liturgicas a S. Rituum Congregatione recognitae atque adprobatae.
Candelae rigidissimae, calidioribus caelis resistentes ab officina Pisoni *unice* comparatae.
Candelae ad sacra atque ad illuminandum, quarum explorata sunt tum integra exustio, tum omnis et colatura et fumi defectus.
Candelae exquisitis ornamentis decoratae sive Cereorum Paschalium sive donorum ad usum.
Cera capsulis conclusa ad supellectiles et pavimenta dilucidanda.
Faculae ad noctem iure proprietatis circa fabricationem protectae, decem horas et ultra ardentes. Unicae hae sunt, quae continuo ac splendido fulgore comburantur, ita ut singuli vix eas experti, in posterum solummodo adhibuerint. — Mittuntur involucris 12-25-50 cereas faculas continentibus.

*Commercium epistolare omnibus linguis habetur.
Res ad orbem universum exportatur.*

Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen
(*Grand Hôtel de la Minerve*)
ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optimae Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum — Tercenta cubicula et magnae aulae — Calefactio — Balnea — Electrica lux ubique — Machinae duo ad ascendendum — Hiemale viridarium — Ludi tridiculares — Aulae mulieribus reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.
Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi
Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1
cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcherarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatum possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCVIII
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Februarii MDCCCVIII.

Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Annus MDCCCVII.
Geographicae res.
De re litteraria apud Subalpinos. De historia Dominicus Carutti patricius.
Hymni tres in honorem S. Melaniae Iunioris.
Paroemiae sive Adagia: Manus manum fricat.
Archaeologicae res. - Vnde Appiae restituti.
Vox Urbis Palaestra. - De colenda lingua latina.
Acta Pontificia. - Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclica de modernistarum doctrinis: Modernistarum ordo inter fidem et scientiam - Modernistarum doctrina theologia - Dogma quid sit iuxta modernistarum sententiam.
- In tertia operculi pagina: TARCISIUS - Actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta.

ANNUS MDCCCVII

Qui aequo animo civiles anni MDCCCVII vices considerat, facere non potest quin ex animo gratulatur; nunquam enim antea pacis desiderium tantum omnium gentium consensum obtinuit, qui non solum per annum integrum bellum quodvis vitavit, sed tum singulorum tum simul coniunctorum actuum congerie ostendit firmandae pacis unum fuisse studium ad bonum universorum appetendum.

Itaque, praeter consuetudinem, multi fuerunt regum civitatumque administrorum conventus, multa colloquia, in quibus aut inita foedera arctiori vinculo constricta, aut nova pacta sunt, aut denique fidei parvae dubia et suspiciones remota.

Praeterea annus nuper elapsus sapientissimos cuiusque gentis vidit Hagae iterum pro pace congregatos. Quod si eorum conatus fortasse fructus ubiores non attulerunt, a somniatoribus iis exspectatos, qui facile obliviscuntur una litura historiae traditiones haud posse deleri, sed gradatim esse procedendum, nemo tamen negabit, coetum illum, praeter quam quod ex se fuerit luculentissimum communis voluntatis testimonium, utilissimum opus perfecisse, quem rationes inquireret quibus belli errores, incomoda et eruptura inde mala coercerentur.

Neque per annum inter varias cultas nationes maximi momenti actus defuerunt; inter quos recentissimum foedus inter Anglos et Russos de Asiaticis negotiis sanctum; praeterea lata consensio et circa Algecirananas conventiones de Mauritanis rebus, et Macedoniae reformationes; pactio inter Gallos et Anglos de fraudibus in fiscum; deliberationes de quibusdam morbis item a populis repellendis, et similia. Nullum

igitur augurium nato nuper anno erit melius, quam ut superioris vestigiis insistens efficacem conferat operam, ne concordia tam congruens ullo pacto minuatur, imo crescat in dies et ad tranquillitatem totius orbis conspiret amice.

Iamvero si interiores eiusque populi eventus respicimus, aliquantum agitatas civiles res in Austro-Hungarico imperio recolimus. Lata enim lex de universalis suffragio, quum ad comitia ventum est, ex iis christiano-sociales, qui dicuntur, ac socialistae triumphum reportarunt. Sed tamen quaestiones, quae superius memoratae legis causa fuerunt, iterum exarsere, ac praecipue de Bohemicarum partium compositione. Ea vero haud impedierunt quominus pactio iniretur inter regna duo quae imperium constituunt, quae ad annum usque MDXVII oeconomiae rei securitatem firmarent.

Gallici gubernii industria, potius quam vineae cultorum condicioni prospiceret, medelam tristi vivendi rationi implorantium, et odio in exercitum coercendo a Gustavo illo Hervé late diffuso, in id praeceps intendit, ut in Christi ecclesiam persequitionem prosequeretur malo alite incoeptam, animorum divisionem fovens, quae profecto non in nationis utilitatem erit cessura.

In Germania, socialistarum factione comitiis oppressa, licuit coloniarum rationes reformare et proprium iis magistratum praeponere; itemque oeconomicas leges plures edere iusque consociationum unificare. Imperium omne Friderici Badensis magni Ducis mortem deflevit, qui unus e Principibus imperii ipsius conditoribus superstes evaserat.

Non minori quidem luctu Suetii affecti sunt ob Oscarri II regis obitum; cui late accesserunt Norvegi, qui eum per multos annos et regem suum habuerant erantque admirati. Qui nunc eius vices tenet, frequentibus tantum itineribus ad exteriores vitae suaes indicia demonstrat.

Russorum Caesar iterum atque tertio coetum legibus ferendis indixit; qui nunc est, laborem proficuum indigitare tandem videtur. Evertendarum rerum cupidi vero nondum a sanguine abstinuerunt, neque sibi persuasum habuere populum minime esse ab iis convictum in rebellionibus desideria sua, quamvis legitima, sese explere posse.

Id, contra, sensisse Hispani patefecerunt, qui, post longas neque eas utiles dissensiones, Maura guberni praesidi accesserunt atque uno animo ad supremam populi salutem legem de restituenda classi tulerunt. Regni pariter haeredem ovantes et gratulantes communi laetitia consulutarunt.

Regia quoque Italica soboles principe alia foemina aucta est; dum tranquille satis publica res ad opes regni augendas et firmandas procedit.

Contra in Belgica, ob Congi, africanae latissimae regionis, imperium, discrepantes acresque opiniones exortae sunt, quae civilem vitam conturbarunt; quemadmodum, imo gravius, in Lusitania accidit, sine legatorum coetu administratorum praefecto Franco gubernare conante.

Reliquae autem Europae nationes, si consuetas Balkanicae regionis perturbationes excipias, nihil peculiari nota dignum praebuere.

Roosevelt praesidis firmus animus hostilem tum suorum tum Iaponiorum mentem auctoritate sua refragavit et proelii concursum, qui tamen dilatus non ablatus dici potest; ut in Perside, ubi novus in libertate rerum ordo in civile bellum, pro tempore repressum, cessit.

Hisce eventibus annus M DCCC VII sequenti locum dedit.

Geographicae res⁽¹⁾

Geographicae res ita se habent, ut duplex in eas causa homines moveat ad quaerendum. Quidni vel triplex? Enumero. Prima et princeps apud plerosque habetur in cupiditate divitiarum, quam Sallustius noster diceret avaritiam; quum nonnulli sint, qui mercaturam facientes commutandis rebus aptiora litora quaerant, quas ubi plurimi vendiderint apud extraneos, inde referre possint ad nos quae communia sunt illis, nobis autem pretiosiora videntur, iuxta vetus: « omnia praeclera, rara »; qua voce obiter et passim inversa, — vulgus enim sic solet, — veluti praeclera et maximi facienda praedicant ea quibus nemo assueverit. Eiquid? Sinensium opera, tabulae, signa, monstruosis imaginibus referta, deformis quid et intolerabile oculis exhibentia, auro pretiosora estimabantur, praesertim quum aegre Oceani spatia remis et velis, non actis vapore navibus, ut nunc fit securius expeditiusque, superarentur. Et modo pariter externa ligna, fructus, lapides in pretio sunt apud nos, quae patrio in solo, unde trahuntur, veluti pro nihilo habentur. Quum igitur huiusmodi iudicium humanum sit (rectumne distortumve sit non inquiram), patet quid propellat in cursus et errores, quid agat, retrahatque tot per maria terrasque non homines modo sed viros; trahit enim sua quemque voluptas.

Hinc saepe factum est ut agitati procellis, in litora non quae sita impacti, in illud incident, quod non sperabant. Sic Tasmanius ille marinus homo Australiam prior omnium nactus est. — Altera causa ponitur, — atque hoc saltem homine dignum est!, — in quodam desiderio ea noscendi, quae abdita, quae dissita, quae nova esse possunt. Est in hisce quaedam recondita laudis et famae apud posteros et praesentes aviditas; nam et Ithacensis epicum habuit va-

(1) Annum iam effluxit, ex quo collega noster carissimus Hiacynthus De Vecchi Pieralice ad superos advolavit; sed tamen viri memoriam in his paginis, ubi tantam mentis suae facilitatem diffudit, non sine certa comprobatione recordare iuvat. Quod hodie facimus alterum ex eius scriptis vulgantes, quae apud nos inedita manserunt.

Ex Iaponia pariter belli rumores manarunt; iique contra civitates foederatas septentrionalis Americae hac quidem de causa, quod Californiani incolae in suis scholis nollent flavos pueros cum suis manere.

tem — (Homerumne, ut Graeci, an Hesiodum alterum, ut Siculi tuentur?) — et ex hoc unice habuit, quia

..... captiae post tempora Troiae
mores hominum multorum vidi et urbes.

Numquid Columbus laudabilis censeretur, nisi per ignota maria, truculentaque monstros, prouti tunc ferebatur, commisisset fragilem navem, vitamque fragiliorem?

Denique tertia emergit causa, digna non homine, sed Deo, a caritate, quae transversum solitudines et Oceanum, per loca horrida belluis, et formidabilia hominibus atrocioribus ipsa rabie belluarum, impellit homines nihil sibi praeter mortem caelumque sperantes, qui doceant barbaras immanitatem gentes, qui colant, qui ab infandis humanis epulis sanguinolentos illarum dentes et ora removeant, qui dicant divina, indicent caelestia, novissima et initia nostri generis nostraeque vitae ostendant, pudicitiae legem, morum suavitatem, fraternitatem, veritatem, honestatem diligendam, tenendam, servandam, sequendam ostendant; esse post mortem non modo vitam, — hanc enim nemo ex illis quamquam barbaris silvestribusque inficiatus est, — sed esse poenas et praemia vitae convenientia reddenda, convenientia aeternae legi, quam quisque, etsi contra faciat, interius tamen sentiat necesse est, quidquid obstrepant contra cupiditates, ignorantia, praecaudacia, mores; ad eam enim nascimur non docti sed facti, eaque non instituti, sed imbuti sumus. Atque hoc genus hominum, quod pietate, sanctitate, animo non dubito appellare divinum, primas in geographicis disciplinis semper tulit. Quanto enim potentior causa, tanto potentiores praebet effectus; potentissima autem causarum omnium ea dicenda est, quae aliquid commune habeat cum caritate et mente divina. Hinc illud Evangelii ad Pharisaeos: « Circuitus mare et aridam ut faciatis unum proselytum » (1); hinc illud Apologistarum ferentium praecones Christi latius longiusque abiisse quam phalanges Macedonis, quam legiones Populi Romani, quam impetus sonitusque Assyriorum atque Persarum, et exiisse in omnem terram sonum eorum, et in fines orbis terra verba eorum; hinc illud, quod historiae testantur iam inde ab aetate Olai Magni Danorum Regis, inter ultima noni saeculi et decimi, exordia Groenlandiae litora incolatu monachorum et Episcopatus fuisse frequentia, quamvis mercatorum cupida manus nondum ad oras illas appulisset; non enim, nisi plura post saecula, ausa est illuc accedere. Propterea quod et nunc illa manus moritura, per adhuc inexploratas regiones impavida discurrens, et morans, et moriens, ubi opportunitas detur, mirabilibus et fidelibus ad unguem epistolis tradit, quae

Sed imprimis cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium ita arripuit, et tantum in iis progressum fecit, ut non facile reperi possit neque de latinis neque de italicis rebus quod ei fuerit incognitum.

Quamobrem ad maiora, vocatus esse omnibus videntur, quum in publicis rebus maneret. Quadam die ei forte obvius fuit Caesar Balbo, celeber ille vir,

(1) Ut recte novoris regionis ingenium iuvat referre in medium hos duos versiculos:

Cumberianae gressus siste viator amice,
Gens, aër, vinum hic sunt bona; credere miki.

qui iure adpellatur italicae historiae lumen atque ornamentum, conquestus quod nondum Amadeus II, rex suum haberet historicum, qui res ab ipso gestas probabili quadam magnitudine posteris traderet. « Hic enim, aiebat, primus e suis nomen et dignitatem regiam adeptus, virtute atque ingenio gentem suam apud exteris gentes renovavit, et post diuturnum acerrimumque bellum, praeter omnium fidem, veteri ditioni reliquum tractum adiecit Montisferrati, Alexandriam Statiellorum, uberem Laumellinae agrum, et quotquot oppida in valle Sessitae continentur. Ex foedore tandem percosso Traiecti ad Rhenum, Sabaudiam a Gallis recepit, et suffragante praesertim Anna, Britannorum regina, Siciliae regno auctus est, quod brevi ob Hispani regis impotentiam cum Sardinia insula invite commutavit. Quam magna ingenii tui atque ampla seges! ».

Hisce verbis ita fuit Carutti permotus, ut post triennium, etsi tot tantisque negotiis distentus, historiam conserpserit Victorii Amedei II, atque doctorum plausu in vulgus ediderit. Et in eodem proposito acrius insistens, brevi admodum tempore, historiam exaravit Caroli Emmanuelis III, qui patrem suffecrat in regno, paremque sibi gloriam virtute bellica ac fortitudine comparaverat.

Quibus operibus sapienter conscriptis atque evulatis, magnam laudem obtinuit, atque in complures eruditorum coetus est ultro cooptatus, dignusque habitus qui nominaretur inter cultores studiis historiae patriae provehendis atque inter sodales Taurinenses doctrinae finibus proferendis; quare multis munieribus auctus vel principes viros amicitia sibi devinetos tenuit.

Quemadmodum vero iure meritoque ob sentiarum gravitatem et castissimum sermonem laudantur Carutti historiae, ita ad res narratas quod attinet, seu potius ad ea quae inter regis iura referuntur atque sacri Romani principatus, ob quamdam rerum novitatem et disciplinam, qua recentiores innixi, haud facile res erga Pontificem adprobatur.

Orator legibus ferendis a populo delectus, probabilis acerrimusque orator enituit; et certus patriae servire non sibi, lautoris fortunae illecebras officio posthabuit, et qualem praestare se instituerat, talem semper servavit.

Sed quum votus esset in historiis colendis, civili prudentia et rerum usu praestantissimus habitus, propositus est regiis rebus per Batavos, ubi per duos annos et amplius honorifice permanxit. Quod otium in litterarum latinarum studium contulit, et fructum edidit maxima eruditione ornatum.

Sunt elegiae, quas A. Propertius composuit Cynthiae indictas, electissimae omniumque doctorum sententia magni habitae; eas Carutti in novum ordinem digessit, recensuit et in vulgus edidit.

At vir optimarum artium studiis cum paucis eruditus, aegre tulit ab patria discessum, et saepe saepius elegantibus versibus dolorem animi effudit; quibus in carminibus Callimachum ita est mordicus secutus, ut hoc titulo italicum Callimachum adpellare non dubaverim.

Ad omnia ingenuam atque nativam quamdam venustatem adferre consuevit, et in cunctis sententiarum altitudine et eruditione laudandus. Postquam vero caput regni, ipso reluctantate, Romam delatum est, atque illa, quam pulere sibi in mente effixerat patriam, ex oculis evanuit, omnium rerum pertaesus, a publicis munieribus vacatione adepta, privatus vixit, omnibusque se abstinuit ne in senatoriam dignitatem ingressus sibi pateret.

Nunc devixa aestate, viribus tamen ingenii vegetus vividusque, antiquitatis semper cognoscendae cupidissimus, cum suis vitam agit, et se se totum in literas abdans, futurae aetatis immortalitatem spectat. Opibus domesticis miserorum inopiam satis dives levat, generis dignitatem virtute cumulat.

Si in historiis praesertim, temporum suorum culpa, in aliquot errores incidit, qui liberiorem in iura Pontificum Romanorum animum referunt, spiritum semper gessit erga eorum sapientiam prouum atque devoutum. Sie merito hisce verbis finem imponam cum Horatii sententia:

*Ubi plura nitent, non ego paucis
Offendar maculis!*

SUBALPINUS.

HYMNI TRES

IN HONOREM

S. MELANIAE IUNIORIS⁽¹⁾

I.

*Civi plaudere tuae, Roma, Melaniae,⁽²⁾
haeres quae veterum clara Quirifum,
abiectis opibus, vivere maluit*

Christi pauperis assecuta.

— « En — sic Publicolae filia cogitat —
en Iesus eguit: natus in algido
humentique specu; nudaque victima,
morti traditus horridae ..».

(1) Hi sponte mihi subierunt hymni, perfecto vix ample et splendido volumine, quod nuper Emus Cardinalis M. Rampolla del Tindaro de vita gestisque S. Melaniae junioris, patriciae Romanae, typis Vaticanis impressum, in lucem edidit; in quo lector haeret, quid miretur magis; immensam auctoris doctrinam et eruditionem, an intimos pietatis sensus, an denique incundissimam dictioriam elegantiam.

(2) In voce Melania, latina lexica secundam syllabam corripiunt: quod si admittatur, nomen illud excludi ab his versibus debet. Ne omissione haec accidat, syllabam ego longam facio; neque, ut arbitror, omnino temere: nam graeca vox Μέλανα (Nigra) secundam syllabam, in qua diphthongus est, necessario producit.

*Vestes, haec meditans, femina nobilis
scindit purpureas; defrahit aurea
collo, brachiolis, fronte monilia,
gemmae fulgida regiis.*

*Aedes marmorea, cum viridario
pleno deliciis, deserit urbicas;
fotoque orbe iubet, nescia finium,
divendi sua praedia.*

*Templis donat opes; donat egenitum
densis agminibus: rege beatior,
quum tandem loculis, ante tumentibus,
nummos excutit ultimos.*

*Une et trine Deus, nostra fugacibus
corda avelle bonis; facque, Melaniae
adiutos meritis, nos premat unica
rerum cura perennium.*

II.

*Decreverat Melania,
Agnetis instar, nuptias
nescire, et usque virginum
velo nitere candido.*

*At durior negat pater
audire vota filiae,
quam Piniano dextera
tradit prehensa coniugem.*

*Aegre ferenti flameum⁽¹⁾
sic Pinianus: — “ Editio
haerede primo, foedera
fraterna mox inibimus ”.*

*Fidemque servat integrum
promissor; etsi, mystica
lustratus unda, subvolat
haeres ad astra parvulus.*

*Fratrem sororis sanctitas
ad gesta sancta provocat;
praeit magistra, consequi
alumnus ardet fervidam.*

*Iustum videre crederes
Joseph, studentem pressius
infaminatae Virginis
vestigiis insistere.*

*Qui trinus audis, o Deus,
unusque, te Melaniae
laudent Satorem deflua
aevum per omne saecula.*

III.

*Sacrum, quod almi dextra Paracliti
scripsit, Volumen casta Melania,
dum sol nitet, dum nox nigrescit,
continuis meditatur horis.*

(1) Erat flameum velum crocei aureive coloris, novae nuptiae impositum.

*Legentis imum pectus ut aestuat!
Ardere Iesum discit in aureo,
quem volvit indefessa, Libro;
discit item deamare fratres.
Quotquot Redemptor rura vel oppida
obivit olim, filia consulm
devota visit; visit usiae
Thebaidis loca sanctiora.*

*Illic quiescit, Rex ubi siderum,
humi volutus, sanguinis uberem
sudavit imbrem: laeta moestum
nidificare penes Magistrum.
Ibi, petrosi verticis incola,
gemit columbae murmure flebili;⁽¹⁾
mens donec, alis explicatis,
evolat ad Solymam beatam.*

*O pulchra, coram visa Melaniae,
Trias creatrix, gaudia caelitum!
quando, fugata nocte saecli,
Sol radians, oriere nobis?*

Franc. X. Reuss.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA


Manus manum fricat.

Socrates in Axiocho Platonis ait Prodigio sophistae hunc Epicharmi comicie dictum semper in ore fuisse: « Affricat manum manus; da quiddam et aliquid accipe », hominis quaestum facete taxans, qui neminem gratuitamente doceret et a quo se quoque, quem dicturus esset, didicisse affirmabat, at ne id quidem gratuito, immo numerata mercede. Sententia digna tam homine Siculo, tam vafro poeta; sic enim illum appellat Cicero. Monet autem neminem ferme mortalium inveniri, qui velit in quempiam beneficium collocare, a quo non speret aliquid emolumenti viensis ad se redditum, sed officium invitari officio, beneficium beneficio provocari. — Adagium effertur etiam hoc pacto: « Manus manum lavat »; sed pollet identidem. Nam mutua commoditas est quoties vel fricat vel abluit manus manum. Circumfertur inter Graecanicas sententias huiusmodi distichon, quod latine redditum sonat:

Urbs servat urbem, servat ibidem vir virum;
Manus manum, digitumque digitus abluit.

Utitur eo et Seneca in ludiero libello de morte Cl. Caesaris.

(1) Columba mea in foraminibus petrae, sonet vox tua in auribus meis. (Cant. Cant., II, 14).



Portae Capenae locus et monumentorum circum rudera.


ARCHAEOLOGICAE RES

VIAE APPIAE RESTITUTIO

Viam Appiam a porta Urbis Capena per Fundos et Capuam, Tarentum et Brundusium usque productam, cuius postremae civitatis ad portum naves ex Asia, Africa insulisque Interni maris appellebant, celeberrimam exstisit notum est tum advenarum frequentia, tum villis innumeris, stationibusque, tum praesertim magnificentissimis monumentis, illustrum civium Romanorum corpora custodientibus.

At non minus christianis memoris celebris evasit: per eam enim Paulus apostolus in vinculis Romanum deductus est; in ea Christus Petro, Urbem deserenti, apparuit, monuitque se in eius locum Romam ire ut iterum crucifigeretur; per eam «catacombe» plures illae dispersae inveniuntur, in quibus Christiani primi convenienter martyresque suos honesto funere humabant.

Habet itaque via Appia, quam iure meritoque Statius «viarum reginam» appellavit, tum ethnicam tum christianam historiam singularem, quam viri antiquitatis peritissimi omni aetate prosequuti sunt. Nemo vero – quod quidem nos audiimus – eam ita omnem illustra-



Portae Capenae et monumentorum circum Iosephi Ripostelli restitutio.

vit, ita utriusque historiae rationibus studuit ut singula monumenta ad pristinam formam restituere valeret. Hoc opus nostris diebus summa doctrina atque diligentia aggressi sunt Josephus Ripostelli et Horatius Marucchi, librumque scripsierunt, cuius momentum figurae ipsae, quas ex editricis officinae Desclée humanitate veluti primitias offerre lectoribus nostris possumus (liber enim adhuc sub pectore est), satis indigitant; nos autem certi sumus litteratorum omnium magno cum plausu iri acceptum.




VOX URBIS PALAESTRA

De colenda lingua latina

*Cultrix bonarum nobilis artium
Decedit aetas.*

Triste sane Leonis pontificis ante Pium gloriosissimum gentium pastorem proximi oraculum. Quae tandem est vita, aetas collapsa? quas dicit ruere artes? Erumpit, nisi fallor, ipsum sermonis genus Latinam fuisse aetatem. Et vere. Quam istud fuit praeclarum, quum uno linguae vinculo nationes inter se necterentur! Fuit quondam in orbe terrarum haec virtus, ut communis matri generis humani nationes sermonem dederint: ut Italus Gallo, ut Germanus



Arcus vulgo a Druso nuncupati et Portae Appiae (hodie S. Sebastiani) prospectus.

Hispano, quid sentiret, potuerit verbis reddere eisdem, quibus communia religionis praecepta proponebantur. Hoc quidem effecit mater, quam ecclesiam vocamus, hac se potestate ornaverat, qua non modo feros hominum mores mitigaret, sed cum nova religione novam loquendi formam introduceret. Quae quidem pulchritudo iamdudum malorum ingenio fuisse invisa videtur, quod ex lingua quadam communi, quantum potuit maiores nostros et nos a matris lingua seculunxit.


An est necesse bella repetere, quibus pacifica quoniam gentium familia sese maectavit? Odium incredibile in nationes irrepsit et ad ponendos limites adegit. Itaque disrumpabantur, suaque linguae quaeque se tradidit excolenda, religionis sermone communi neglecto. Exstiterunt post, qui filios matri eriperent, quibus nil fuit antiquius, quam cum obedientia linguam proificeere eamque ut omnia matris contemptae instituta odio persequi.

Quod vero ipsi qui se matris filii profitentur, non dico tam pauci sciunt, sed tam multi animi ab ea aversionem cum adversariis habeant communem, ferendum non est. Quotusquisque iam est, non quidem de plebe, sed de tabernaculi custodiibus, qui loquuntur Latine! Quid, quaeso, est, quod, quum alienigena convenitur,

colloquium Latinum tam foeda tergiversatione declinatur? Exercitatio excusat, obscuritas generis loquendi, difficultas descendit, verborum penuria. His vulneribus aliquando medendum est. Exercitatio te terret a Latine loquendo? Vitium est in te hoc, qui ut exercitas factus sis. Ab exercitando enim venit et verbum et ipsa exercitatio. Solus tu huius mali prudens poteris esse medicus, propterea quod nemo hoc reconditum in te vulnus satis intropiscere protest, ut pro potionem det medicinam.

«At premit linguae difficultas». Quam rei amor et studium tollet. Hoc unum est consequens ex difficultate quam dicis: ut maiore tibi contentione virium atque, si necesse est, nervorum patetalias aditum. Multa sunt de via et re praeepta; tu ipse pervestigia: ipse te nosti, tua recte te ducet diligentia. Primos aditus habet difficiles; post fructus redundantia oblivionem inducit molestias: denique multo difficilius est opinor, nescire, quam forte pectus opponere difficultatibus.

«At quis repetit hac aetate rem tam antiquam? tam insolitam?» Optimus quisque, maxime qui habet ecclesiam matrem, cuius quidem nescit linguam. Omnia nobis extorquent hostes, libertatem, instituta parentum, religionem. Solam linguam, quod eripere non possunt, relinquunt. Rident, quod nos libere eam deponimus.



Arcus vulgo a Druso nuncupati et Portae Appiae Iosephi Ripostelli restitutio.

« Non est satis verbosa lingua Latina, ut magna sit novorum nominum inopia ». Quid? non satis verborum Latina tibi praebet copia? Undenam sumuntur vocabula, quum aliquid novi invenimus, nisi ex fonte antiquo? Philosophi, quam mirabilem expisserunt ex vetustis verbis Latinis novorum verborum multitudinem, maiorem sane quam res postularet! Physici nonne omnia Latine antehac componebant? Maioribus nostris hoc inerat robur, ut sibi ficerent verba, quae a parentibus non accepissent.

« At id ipsum vitupero: Novanda verba, nonne aperiunt linguae inopiam? » Quaero: Cur tu linguae Latinae ea verba quasi novanda opponis, quae in sermone patro, omnino quum tibi desint, in ore tibi versantur quotidie? Sed omnem nostram de novis significationibus sententiam iamdudum Horatius Flaccus his artis poeticae versibus expressit:

... Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota procudere nomen.
Ut syvae foliis pronus mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit actas
Et iuvenum ritu florent modo nata videntque.

Et paullo post:

Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula.

Verborum igitur inopia laboraret lingua Latina, si nulla excogitari vel ab iis, quae sunt, deduci possent amplius. Sed duplex fuit quasi quidam fons, a quo nova vocabula, uti res poscebat, semper profluenter, quem idem indicavit Flaccus in eodem opere:

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem si
Graeco fonte cudent parce detorta.

Quamquam non est hic mihi locus longioris de verborum copia disputationis, quoniam nihil linguae infertur detrimenti, quum novis rebus nomina nova imponuntur. Iamne igitur verborum spinam extraxi? Id quod magis te debuit movere: quomodo verba inter se necantur, taces. Coniunctio verborum Latinorum polita, limata, rotunda a nostris linguis aberat longissime. Qui vim et naturam linguae Latinae domi habet multas res distinguit, describit, commendat, etsi nullum dicat vocabulum proprium.

Sed quo me duxit oratio? De hac re nil dicam nunc; differam in aliud tempus. Hoc autem iam nunc tene: praeter studium et exercitationem via est nulla ad linguam Latinam. Et si quaeris undenam haurias, nihil scio melius, quam ut tibi comprobem veterum principum codices, in quibus quasi quibusdam rivulis limpidus fluit sermo, et hanc vocem, quae est in manu, ad cognoscenda novarum rerum verba, quibus instructus ad colloquendum Latine constanter procedas.

Huic sententiae, ut lucis aliquid adderetur, breve adiunxi colloquium, quod finxi institutum a tribus

adulescentibus, quibus sit in animo ad theologiae studium sese conferre, quibusque imposui Constantii, Felicis, Tiberii nomina. Quae inter se colloquantur, in proximo numero, si placuerit, videbimus.

ANDREAS HABERL
alumnus, collegii S. Gabrielis
Mödling ad Vindobonam in Austria.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicaes de modernistarum doctrinis.

(Cfr. an. X n. XII).

Modernistarum ordo inter fidem et scientiam.

Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistarum statuant inter fidem et scientiam: quo etiam scientiae nomine historia apud illos notatur. — Ac primo quidem tenuendum est, materiam uni obiectam materiae obiectae alteri externam omnino esse ab eaque seiunctam. Fides enim id unice spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse proficitur. Hinc diversum utrique pensum: scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conicitur, inter fidem et scientiam numquam esse posse discordum: si enim suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem numquam poterunt, atque ideo nec contradicere. — Quibus si qui forte obiiciant, quaedam in aspectibili occurrere natura rerum quae ad fidem etiam pertineant, uti humana Christi vitam; negabunt. Nam, etsi haec phaenomenis accensentur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est modo, *transfigurata* ac *defigurata* fuerunt, a sensibili mundo sunt abrepta et in divini materialia translati. Quamobrem poscenti ulterius, an Christus vera patravit miracula vereque futura praesenserit, an vere revixerit, atque in caelum concenterit; scientia agnoscita abnuet, fides affirmabit; ex hoc tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophos aliquos, Christum scilicet unice contemplatus secundum *realitatem historicam*; affirmabit alter ut credens cum credentibus loquutus, Christi vitam spectans prout *iterum vivitur* a fide et in fide.

Ex his tamen fallitur vehementer qui reputet posse opinari, fidem et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subiectam. Nam de scientia quidem recte venire existimabit; secus autem de fide, quae, non uno tantum sed triplici ex capite, scientiae subiecti dicenda est. Primum namque advertere oportet, in facto quovis religioso, distracta *divina realitate* quamque de illa habet *experientiam* qui credit, cetera omnia, praesertim vero *religiosas formulas*, phaenomenorum ambitum minime transgredi, atque ideo cedere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo excedere; quandiu tamen in mundo deget, leges, obtutum, iudicia scientiae atque historiae numquam, velit nolit, effugiet. — Praeterea, quamvis dictum est Deum sicut fidei esse obiectum, id de divina quidem *realitate* concedendum est, non tamen de *idea* Dei. Haec quippe scientiae subest; quae, dum in ordine, ut aiunt, logico philoso-

phatur, quidquid etiam absolutum est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de idea Dei ius habet, eamque in sui evolutione moderandi et, si quid extraneum invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum: evolutionem religiosam cum morali et intellectuali componi debere: videlicet, ut quidam tradit quem magistrum sequuntur, eisdem subdi. — Accedit demum quod homo dualitatem in se ipse non patitur; quamobrem credentem quaedam intima urget necessitas fidem cum scientia sic componenti, ut a generali ne discrepet idea, quam scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, ut scientiae extraea praedicitur, eidem subesse. — Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis quae Pius IX decessor Noster tradebant, docens (1): *Philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non praescribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque attitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam per humilitatem revereri*. Modernistae negotium plane invertunt: quibus idcirco applicari queunt, quae Gregorius IX item decessor Noster de quibusdam suaetatis theologiis scribebat (2): *Quidam apud vos, spiritu vanitatis ut ute distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitatem; caelestis paginae intellectum . . . ad doctrinam philosophicam rationalium inclinando, ad ostentationem scientiae, non profectum aliquem auditorum . . . Ipsi, doctrinis variis et peregrinis abducti, redigunt capit in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam*.

Quod profecto apertius patebit intuenti quo pacto modernistae agant, accommodate omnino ad ea quae docent. Multa enim ab eis contrarie videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos aestimet ancipes atque incertos. Verumtamen consulte id et considerate accidit; ex opinione scilicet quam habent de fidei atque scientiae seiunctione mutua. Hinc in eorum libris quaedam offendimus, quae catholicus omnino probet; quaedam, aversa pagina, quae rationalistam dictasse autem. Hinc, historiam scribentes, nullam de divinitate Christi mentionem iniiciunt; ad concionem vero in templis eam firmissime profitentur. Item, enarrantes historiam, Concilia et Patres nullo loco habent; catechesim autem si tradunt, illa atque illos cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastorem a scientifica et historica secernunt. Similiter, ex principio quod scientia a fide nullo pacto pendeat, quum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhortentes (3), desipientiam praceptorum catholicorum, sanctorum Patrum, oecumenicarum synodorum, magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiae subiectam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt quod sua dogmata philosophiae opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat: ipsi vero, veteri ad hunc fidem theologia sublata, novam invenire contendunt, quae philosophorum delationibus obsecundet.

Modernistarum doctrina theologica.

Hic iam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad modernistas in theologicis agone spectandos. Salebrosum quidem opus: sed paucis absolvendum. — Agitur nimurum de con-

(1) Brev. ad Ep. Wratislav. 15 inn. 1857.

(2) Ep. ad Magistros theol. paris., non. Iul. 1223.

(3) Prop. 29 damn. a Leone X, Bull. *Exsurge Domine* 16 Maii 1520: *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et indicandi eorum decreta, et confundendi confundi quidquid verum videtur sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.*

cilianda fide cum scientia, idque non aliter quam una alteri subiecta. Eo in genere modernista theologus eisdem utitur principiis, quae usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat: principia inquisimus *immanentiae et symbolismi*. Sic autem rem expeditissime perficit. Traditur a philosopho *principium fidei esse immanens*; a credente additur *hoc principium Deum esse*: concludit ipse *Deus ergo est immanens in homine*. Hinc *immanenta theologia*. Iterum: philosopho certum est *representationes obiecti fidei esse tantum symbolicas*; credenti pariter certum est *fidei obiectum esse Deum in se*: theologus igitur colligit: *representationes divinae realitatis esse symbolicas*. Hinc *symbolismus theologicus*. — Erroris profecto maximi: quorum uterque quam sit perniciosus, consequentiis inspectis patet. — Nam, ut de *symbolismo* statim dicamus, cum symbola talia sint respectu obiecti, respectu autem credentis sint instrumenta; cependum primum, inquit, credenti, ne ipsi formulae ut formula est plus nimio inhaerent, sed illa utendum unice ut absolute adhaerescat veritati, quam formula retegit simul ac tegit nititurque exprimere quin umquam assequatur. Adhuc praeterea, formula eiusmodi esse a credente adhibendas quatenus ipsum iuverint; ad commodum enim datae sunt non ad impedimentum: incolumi utique honore qui, ex sociali respectu, debetur formulis, quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam indicarit, quamdui scilicet idem magisterium secus quidpiam non edixerit. — De *immanentia* autem quid reapse modernistae sentiant, difficile est indicare; non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant, quod Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo; quod plane, si recte intelligitur, reprehensionem non habet. Alii in eo ponunt, quod actio Dei una sit cum actione naturae ut causae primae cum cause secundae; quod ordinem supernaturalem reapse delet. Alii demum sic explicant, ut suspicionem efficiant pantheisticas significationis; id autem cum ceteris eorum doctrinis cohaeret aptius.

Hic vero *immanentiae* pronunciato aliud adiicitur, quod a *permanentia divina* vocare possumus: quae duo inter se eo fere modo differunt, quo *experientia* privata ab *experientia* per traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit; sitque ab Ecclesia et Sacramentis deductum. Ecclesia, inquit, et Sacraenta a Christo ipso instituta minime creduntur. Similiter, ex principio quod scientia a fide nullo pacto pendeat, quum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhortentes (3), desipientiam praceptorum catholicorum, sanctorum Patrum, oecumenicarum synodorum, magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiae subiectam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt quod sua dogmata philosophiae opinionibus subdere et accommodare obstatissime renuat: ipsi vero, veteri ad hunc fidem theologia sublata, novam invenire contendunt, quae philosophorum delationibus obsecundet.

Attamen Ecclesiam et Sacraenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Qui vero? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam semini vivunt; christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est: ergo et christianorum vita. Si igitur haec vita, decursu actatum, Ecclesiae et Sacraentis initium dedit: iure omnino dicetur initium huiusmodi esse a Christo ac divinum esse. Sic omnino conficiunt divinas esse etiam Scripturas sacras, divina dogmata. — His porro modernistarum theologia ferme absolvitur. Brevis profecto supplex: sed ei perabundans, qui profiteatur, scientiae, quidquid praeceperit, semper esse obtemperandum. — Horum ad cetera quae dicemus applicationem quisque facile per se viderit.

Dogma quid sit iuxta modernistarum sententiam.

De origine fidei deque eius natura attigimus huc usque. Fidei autem cum multa sint germina, praecipua vero Ecclesia, dogma, sacra et religiones, libri quo sanctos nominamus; de his quoque quid modernistarum doceant, inquirendum. — Atque ut dogma initium ponamus, huius quae sit origo et natura iam supra indicatum est. Oritur illud ex impulsione quadam seu necessitate, vi cuius qui credit in suis cogitatibus elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis. Est hic labor in rimando totus expoliendo primigeniam mentis *formulam*, non quidem in se illam secundum logicam explicacionem, sed secundum circumstantia, seu, ut minus apte ad intelligendum inquit, *vitaliter*. Inde fit ut, circa illam, *secundariae* quaedam, ut iam innuimus, sensim enascantur formulae; quae postea in unum corpus coagimentatae vel in unum doctrinae aedificium, cum a magisterio publico sancitiae fuerint utpote communis conscientiae respondentes, dicuntur dogma. Ab hoc secernendae sunt probe theologorum commentationes: quae ceteroqui, quamvis vitam dogmati non vivunt, non omnino tamen sunt inutiles, tum ad religionem cum scientia comprehendendam et oppositiones inter illas tollendas, tum ad religionem ipsam extrinsecus illustrandam protuendamque; forte etiam utilitati fuerint novo cuidam futuro dogmati materiam praeparando.

ANNALES**Mauritana res.**

Mauritanie rei historiam prosequentibus occurrit his diebus primum a munere recessio Druse, Gallorum copiarum ducis, cui sufficitur D'Amade, qui, suo et Hispanorum gubernio consentientibus, Kasbah de Medionna obsidione cingit, et facile occupat, ita ut difficilius Arabis redderetur Casablanca urbis vicina loca vexare. Interim vero Muley Afid sors instauratur: Fez enim in urbe solemniter Mauritanorum imperator contra Abd El Aziz fratrem edicetur, dum bellum sanctum iterum ac ferocius promulgatur, novique milites undique inscribuntur. Quod si hue usque Mahumetanorum fanaticus in Europaeos furor in novas caedes non excesserit, non est dubium quin ardua magis Europeorum conditio hisce de causis evaserit, factaque sit necessitas, dum tempus est, opportunas cautelas adhibendi iuxtae opportunitatem sine mora agendi. Non itaque iniuria D'Amade, quem diximus nunc Gallico exercitu praefectum, Mauritanorum castra ad Settat, a Muley Rechid, Muley Afid assecla, posita, ex improviso aggressus est, hostesque ad pugnas lacessitos industrie ac fortiter dispersit.

**In Italos Amharorum impetus.**

Neque tamen Galli uni in Africa decertant Itali enim et ipsi barbarorum ferociam passi sunt. Quos, quum ad Lugh, ad suorum Abyssiniaeque fines, castrametantur, Amharorum tribus repente adoritur, facilem de eorum parvo praesidio victoriam reportat, strenueque proeliantes intra suos milites peditum praefectos duos obtruncat. Non tamen videtur res ulterius processura; Abyssinorum enim imperator protestatus est incursionem illam inscio se atque suo cum moerore accidisse, praedatoresque digna poena se multaturum.

**Inter Austros atque Hungaros compromissum confirmatum.**

Sanctione sua Franciscus Iosephus Caesar compromissum intra duas regni sui partes in legatorum coetibus latum confirmavit, quod quidem ex novo

— Alfonsus Andrioli, Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, inter indices S. Congregationis Romanae et Universalis Inquisitionis refertur.

— Franciscus Segna, Purpuratus Pater, S. Congregationis Indicis praeficitur.

— Henricus Gasparri, Apostolicus Olysiplonensis legationis auditor, Bruxellas trasfertur; in eius locum Benedictus Aloisi Masella, Secretariae Status addictus, sufficitur.

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Dec. m DCCCC VII - d. xx mens. Ian. m DCCCC VIII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque Viros, qui sua quisque munericis gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Sacer Senatus, Legati apud Apostolicam Sedem, Pontificis Militaribus copiis Praefecti sacraeque domus aulici omnia in novum annum offerentes; Sigismundus Malatesta, Comes Urbanus; Hermannus Michelangeli, rector generalis Clericorum Regularium a Matre Dei; Sergius Sazanoff, ex Augustalibus Cubiculariis Nicolai II, Russorum Imperatoris, litteras praebens quibus eligitur Russorum minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Rield de Riednau, dynasta, Austrorum Hungarorumque legatus ad Brasiliam; Xystus e Borbonica gente princeps; Wolfram de Rothenan dynasta, huc usque legatus extraordinarius et minister cum omni potestate Borussorum apud Apostolicam Sedem, litteras praebens, quibus missione sua finis est impositus; Diegus Pignatelli Princeps, eiusque familia; De Arcos Dux; Emmanuel Sanchez, Praepositus generalis Congregationis Clericorum Regularium Scholarum Piarum; Michael a Carbonara, ex Ordine Minoris S. Francisci Capulatorem, praefectus Apostolicus Erytreensis; Von Muchlberg dynasta, novus Borussorum legatus; Iosephus Laurance, alter a vicario Londonensis civitatis; Henricus Carolus Higgs eiusque uxor et filia; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus eiusque filia Grazioli Duci proxime nuptura; Francisca Ruspoli, Princeps foemina eiusque filiae.

Pontificiae electiones.

Ioannes Tacci, archiepiscopus Nicaenus, legatus Apostolicus Constantinopolitanus, Nuntius Apostolicus mittitur ad Belgas.

inito anno iam viget. Certe non sine animi gaudio senex Imperator invidiae ac dissensionum pericolosam causam sublatam ad decennium vidit, et cum eo Teutones omnes, qui patriam caritatem fovent.

**Iaponiae cum Foederatis Civitatibus Septentrionaliis Americae discrimen.**

Quaestio inter Iaponiam et Foederatas Septentrionalis Americae Civitates multos adhuc turbat, quamquam nuncii tum a Tokio tum a Washingtoniensi urbe utriusque gubernii mentem profitentur, ut amice de flava immigratione, quam nuncupant, in nordicam Americam conveniatur. Plures contra — neque rem tacere iuvat — ineluctabile fatum putant Pacifici oceani possessionem alteri duorum gentium, quae eius litora occupant, iri attributum; quod sine sanguinis effusione fieri non potest. Nos vero id minime evenetur speramus, non solum ad illorum fortium populorum bonum, sed universae humanitatis.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Batavia ob rationes accepti et expensi ad bellum a coetu hand probatas, De Meester, ab a. m DCCCCV gubernii praeses, a munere cum collegis recedit. Novum administratorum collegium sufficitur, Heemskerk praeside.

In Belgica, Trooz, publicae rei praeposito, vita functo, Schollaert succedit, qui, praesertim ob Congi quaestionem, legatos omnes ad concordiam invitat.

In Borussia rationes acceptorum et expensarum in discrimen adductae atque deficiente ob ferriviarum extraordinarias impensas inventae. Cui rei ut provideretur publica commodatio decreta. Denique de iure suffragii immutando acrius disceptatum atque ad Germanos incolas Polonarum provinciarum defendendos lex promulgata.

In Gallia de bonorum ecclesiae devolutione certa lata lex, non sine adversantium protestationibus, qui retrusas viderunt etiam paucas correctiones ad aequitatem et opportunitatem propositas. Ob Guyot-Dessaigne, iustitiae administris, interitum, Briand hoc munus sibi assumpsit; Doumergue, commerciis praepositus, ad publicam institutionem transiit; ad commercia autem regenda Cruppi est deputatus.

In Iaponia coetus sessiones resumptae regali oratione, amicitiam praecipue cum Anglia et Russia confirmante.

In Italia, Viganò, pedum magistro, a munere recedente, bellicis negotiis praeficitur Casana senator, primus a regni institutione huiusc rei civilis minister.

In Lusitania ad diem v futuri mensis Aprilis nova comitia indicta.

In Russia contra ammonae gravitatem ac tumultuam opportunis cautionibus provisum.

PER ORBEM

Die xxii mens. Decembbris m DCCCCVII, Blastae in oppido Macedoniae, Graecorum manus ob antiqua odia Bulgaros xxv foede interfecit.

— d. xxv in speculatoria turri ad Mendon, ubi diu vixit, Petrus Julius Caesar Iansen, astrorum scientiae doctor, diem obit supremum.

— d. xxvi Surat in urbe duorum millia Indorum conventus ad suae gentis generalia negotia tractanda inaugurator.

— d. xxviii Georgius, Graecorum princeps, eiusque uxor Romam visitandi gratia adveniunt.

— d. xxix Lutetiae Parisiorum novae a se inventae telephotographiae absque filis experimenta Paschalis Baronneau agit.

— d. xxx Kislovodole, Caucasiae regionis in oppido, rebellio contra gubernium exsurgit. Vis vi et sanguinis effusione repellitur.

— d. xxxi Romae apud mercatorum coetum, gaz incuria effusum, incendium, fragorem latamque circum ruinam producit, qua viginti homines vulnerantur aediumque custos interimitur.

Lutetiae Parisiorum Guyot Dessaigne administer, atque Bruxellis Trooz, gubernii praefectus, improvisa morte conficiuntur.

Die ii mensis Ianuarii m DCCCCVIII Lyttelton ex novae Zelandiae portu, Shakleton militum legatus ad antareticum polum proficiscitur, cuius verticem, si possit, automobili curru attingere sibi proposuit.

— d. iii Neapoli duo millia baiulorum et septingenti ex condicto ab operibus recedunt.

— d. iv Browastown in Iamaica vehemens terrae motus plura aedificia quassat.

— d. vii Boneariensi in urbe diurnae nautarum a laboribus desertioni finis imponitur.

— d. ix, Sokoloff in statione, ab armata scelerorum hominum manu ut diribitorio thesauro potiuntur, incendiaria pila coniicitur, unde milites duo necantur, cives sex horrenda vulnera reportant.

— d. x provinciae maritimae Ce-I-Jane rebelles in exterorum odium Lutheranae missionis aedificia ad Karbing igni tradunt.

— d. xi ex nivali turbine Siberiani ferrei itineris exercitium ubique retinetur.

— d. xii Alexander, Serborum regis filius, sub nomine Avaia Comitis, Romam attingit.

— d. xiv ex Arabia nunciatur cholera morbus in dies saevire.

Boyertown, in urbe Pensilvaniae, dum cives spectaculo adsunt, theatrum flammis invaditur. Cives centum et septuaginta misere comburuntur.

Lutetiae Parisiorum in lacu viridarii, cui *Boulogne* nomen, erupta ex improviso glacie, super quam laetabundi cives multi decurrebant, fit plurimum submersio, duorum autem mors.

— d. xv Luetesburg vita fungitur Eduardus Innhausen et Knyphausen princeps, Borussorum senatus praeses. Natus erat Hannoverii d. xiv mens. Decembris M DCCC XXVII.

— d. xvii Salisburgi animam agit Ferdinandus ex Austriaca imperiali domo, quondam Hetruriae magnus dux, Florentiae n. d. x mens. Junii M DCCC XXXV.

— d. xix Temecum, Chilense oppidum, incendio vastatur.

In fodinis ad Charleroi in Belgica ex incendio *gaz grisou* cuniculari sepeluntur. Alii inde mortem obeunt, ali sauciantur.

Ex Terra Sancta

Accepimus, et libenter edimus:

Quum maxime conveniat, necessitate temporum impellente, ut populi videant opera nostra bona et glorificant Patrem qui in caelis est, censuimus tandem, Discretorio nostro prius consulto, ea pervulgare, quae Terrae Sanctae Franciscales antiquitus operati sunt hodieque operantur.

Prope finem igitur mensis Februarii proximi latino idiomate prodibit *Diarium Terrae Sanctae*. Non ibi armorum huius saeculi fragor, non mundanae politices angueinae verutia, non inanis gloriae cupiditas, sed operosa quies mirabilium, quae per humiles S. Francisci viros operatur Deus. Commissarii nostri ubique terrarum diffusi, in quorum praesertim subsidium hic labor, ea ex Diario excerpent, quae uberiora iudicabunt ad amorem fovendum populorum erga Sacra Redemptionis Loca, pretioso Christi sanguine purpura.

Faxit Deus ut hoc opus nostrum selectos franciscales iuvenes ex unaquaque natione ad Sanctas Hierosolymorum urbem perducat germenque sit illius praestantioris ephemeredis, quae in votis nostris iugiter fuit et est.

Hierusalem, ex Conv. SS. Salvatoris, die 25 Decembr. 1907.

FR. ROBERTUS RAZZOLI

Totius Terrae Sanctae Custos.

A kal. Ian. M DCCC VIII comm. Vox Urbis sedes est Romae, piazza del Gesù, 48.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *La cultura del Clero nel nostro secolo particolarmente in Italia.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1907. (Ven. lib. 0,30).

Id. *La questione sociale e il Cristianesimo.* Indidem. — (Ven. lib. 0,60).

Id. *La povertà, l'industria e il sapere in relazione al Cristianesimo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,25).

GERMAIN A. *Come rinnovare Parte cristiana.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

GELASIO LEPORE. *Manuale di Arte Saera.* — Venit Romae apud Desclée et Soc. lib. 1,50.

COLELLA B. *Sermoni sacri.* II. Edizione. — Indidem. (Ven. lib. 2).

BERNARD P. (S. I.) *Le istruzioni segrete dei Gesuiti*, studio critico. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Almanacco illustrato per le famiglie cattoliche — Anno 1908. Indidem. (Ven. lib. 0,50).

AENIGMATA

I.

aeiinnoſtuv.

(Hicce literis opportune collocatis constat tritum satis latinum proverbium).

II.

*Totum sume, canit; truncato vertice, pollet;
Caudam deme, orbat; viscera tolle, parat.*

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:

ÉLÉMENTS D'ICONOGRAPHIE CHRÉTIENNE
par LOUIS CLOQUET.

Aenigmata an. X, n. XI proposita his respondent:

Os - Bos - Cos - Dos - Mos - Ros - Vos.

Ea rite soluta miserunt:

Am. Robert, *Roma.* — Merky ch., *Bellemagy.* — Petr. Torgestinus. — Guil. Schenz, *Ratisbona.* — F. Guerra, *Aletio.* — Georg. Nemeth, *Vasnadasd.* — Salv. Casagrandi S. I., *Augusta Taurinorum.* — Rich. Müller, *Berolino.* — F. Arnori, *Meditano.* — Alex. P. Gest, *Trentonio.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Fr. Bonaventura, *Aterno.* — Rich. Lefebre, *Parisii.* — Alois. Cappelli, *Senis.* — B. Michalski, *Lekinscio in Polonia.* — Henr. Tarallo, *Neapol.*

Sortitus est praemium:

F. GUERRA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
DE RE EPIGRAPHICA
ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (3)

(Versibus senariis conscripta).

SCENA II.

TARCISIUS (1).

Quot viri in foro! Quid hic ipsi cogitant?
Locus mihi multis plenus periculis.
Enim haec transeunt devincti martyres,
Ut deducantur fortis ad supplicia.
O iustius sacra dicenda nunc via,
Christi discipuli qua onusti spoliis
Capitolium scandunt gloria fulgidum!
O Roma, Roma, martyrum quae sanguine
Rigata turpiter Victoria extolleris,
Dies sit propior, noveris quod decus
Tibi futurum sit de Christi studio!...
Meus quo spiritus volavit trepidus?
Meae tu, Christe, dulci parce patriae!
Heic prope mater, Mamertino in carcere,
Exspectat hilaris capit is sententiam.
Oh! si quando possim deosculari manus
Ferunt quae Christi catenas nobiles!
Tu forte martyrum si velles sanguinem
Ut Abel olim sanguis fuit placitus,
Meus, precor, prior tellurem patriae
Irroret, martyres aliasque germet.
Sic omne votum genitricis solvitur
Novusque rerum ordo Romae renascitur.
Iuvat sed ire ad fratres nunc sollicite.... (2)
At, at, qui subeunt? Malo certe alite!

SCENA III.

DIOCLETIANUS, IANUS.

IANUS (3).

Vidistin' cives qua te reverentia
Colunt, amant? Vix te longe prospiciunt,
Loco subito verecundi abeunt.

DIOCLETIANUS.

Probe vidi; sed....

IANUS.

Quid « sed? » Romanus populus
Cedit tibi laetus orbis imperium;
Polles qui viribus, polles qui ingenio.

(1) *Introgreditur iuvenili modestia et more puerorum.*
Nulla ostentatione loquitur.

(2) *Introspiciens videt et cognoscit qui sunt venturi, et confestim ingreditur.*

(3) *Loquitur adulator et summa arte.*

(Ad proximum numerum).

DIOCLETIANUS.

Probe!

IANUS.

Vicisti nationes Galliae,
Ut recte possis appellari Gallicus.
Et Asiam nuper vicisti nomine,
Tuum nam cunctis est nomen impotens.
Sed unus — proh pudor! — remanet populus
Tui qui contemnit mandata imperii.... (1)
Recordor haec quum, totis me praecordiis
Pro reverentia commiscere sentio.
Ream quis gentem sperderet radicitus,
Suoque gladio mactaret monstrum hominis,
Suis qui foedat imperium flatibus?
Ecce hic obstat usque pertinacior
Iussibus Caesaris? Auget quod opprobrium?

DIOCLETIANUS (2).

Dic, sodes, quis audax hic est? Dic: impero!

IANUS.

Opus nec verbis. Cur vulnus refricem?
Tuum nee pectus contristabor insuper....

DIOCLETIANUS (3).

Tuis nunc verbis arcanis et subdolis
Quorsum tu tendas, pol! videre video.
Tu Christianos incusas; hos vulneras....
Sed inter numquam hos ipsos inveneris
Agant quid turpe, iurent in imperium....
Pugnant in armis, pugnant et in precibus,
Et adsunt praestantes pro nobis subditi.

IANUS.

Pater bonus semper flectit ad veniam!...
Nolo turbare cor reprobis memoris,
Te nec torquere denuo ad supplicia....
Scio equidem reis quam tu indulgeas!
Nolim te serpentem fovere in pectore....

DIOCLETIANUS.

Vides quam nobis se promittunt flexiles:
Quieti crescent numero, prudentia,
Suisque nostrum replent vel Palatum!

(1) *Quasi moerore confactus, et suspirans.*

(2) *Ira incensus.*

(3) *Studiose haec dicit atque ironice.*

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italianam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno M DCCC XLVI peractam, *ad libitum* sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.